



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Episcoporum Hildesiensium

Letzner, Johannes

Hildesheim, [ca. 1690]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64252)

H. 11. 16.
27

Th. 4878.



CATALOGUS
EPISCOPO-
RUM

HILDESIENSIIUM

CUM

BREVI EORUNDEM ELO-
GIO, EX KRANTZIO, LETZNERO,
TANGMARO, BUCELINO, BRUSCHIO,
ALIISQUE MANUSCRIPTIS
VETUSTISSIMIS
EXCERPTUS.

*Et in gratiam quorundam typis
editus. Paderborn*

Collegii S. J.



HILDESII,
Typis JOANNIS LEONARDI SCHLEGEL
Episcopal. Typogr.



I. **G**UNTHARIUS Ecclesiae Remensis
Canonicus à Carolo Magno è Gallia evo-
catus, Ecclesiae ab eo in Aulica (Euse) in
honorem S. Petri Apostoli inchoatae pri-
mum praefectus est: cum verò deinde Cathedra à Lu-
dovico Pio (Lipsanotheca Marianâ rosato arctius illi-
gatâ, & nive praeproperâ ansam praebente) Hildesum
transferretur; ubi nunc Crypta est Cathedralis Eccle-
siae, primum Sacellum in honorem Beatissimae DEI
Genitricis MARIE construxit, eidemq; unâ cum vicini-
nis aedificiis Anno 822. coronidem imposuit, ac Ludo-
vicum Imperatorem variis prodigiis permovit, ut no-
vellam Ecclesiam fundis & redditibus stabiliret. Cum
autem Sacellum hoc angustius esse adverteret, quàm
ut populum affluentem caperet, in propinquo tem-
plum aliud honori S. Cæcilie consecratum condidit.
Saxoniam barbaram à cultu idolorum ad veram Chri-
sti fidem traducere indefesso sudore contendit, labo-
ris patientissimus, ad mortis pericula interritus. De-
niq; onere Episcopali gesto in Aulica annis 27. & Hil-
desii 13. zelo Apostolico & famâ sanctitatis clarus de-
cessit, Anno Domini 835. 5. Julii. In templo S. Cæci-
lie sepultus.

II. **F**REMBERTUS semestri vix in Episco-
patu transacto ad vitam meliorem transiit Anno Dn.

836. 12. Februarii, in templo S. Cæcilie, seu sacello
Aulæ Episcopalis apud Prædecessorem tumultatus.

III. EBBO prius Archi-Episcopus Remensis
à Paschali Pontifice ad Evangelium in Septentrione
prædicandum ablegatus; cum S. Anschario Archi-
Episcopo Hamburgensi & Bremenfi, fidem Catholi-
cam in Daniam, Sueciamque invehere allaboravit.
Deinde S. Anschario agente, & Ludovico Imperatore
annuente ad Infulam Hildesensem promotus est.
Obiit Anno Domini 847. 20. Martii Episcopatus sui
duodecimo, apud Prædecessores suos in templo S.
Cæcilie terræ mandatus.

IV. ALFRIDUS ex illustri Comitum de A-
sne de prosapia oriundus, ob admirandam cum vitæ
sanctimonia conjunctam eruditionem & prudentiam
ex Corbeia postulatus est in Episcopum Anno 851. Aō.
852. Concilio Moguntino interfuit, & cum Ludolfo
Saxonie Duce Parthenoni in Brunetheshusen initium
dedit. Anno 860. bellum inter Carolum Franciæ, &
Ludovicum Germaniæ Reges Fratres, Ludovici Pii
filios feliciter composuit, arbiter & fœderis conser-
vator electus. Anno 868. in Concilio Wormatiensi an-
te omnes Episcopos eminuit. Anno 870. Carolum
Franciæ Regem, qui per Lotharii Nepotis obitum
Lotharingiam invaserat, autoritate suâ ad abceden-
dum permovit. Aucto jam Fidelium numero, Cathe-
drale templum, perystilium, aliaque ædificia à fun-
damentis erecta absolvit, & præsentibus inter alios
S. Remberto Archi-Episcopo Hamburgensi & Bre-
menfi, Luithardo Paderbornensi, & Theodorico Min-
densi Episcopis consecravit, Anno 872. In quibus Ca-
noni-

nonici cum eximiopietatis fervore, & disciplinæ vigore, Religiosorum instar, summa cum laude vixere. Aliud præterea Monasterium Seligenstadii, & Collegium Virginum in Asnede, seu Essendiæ construxit ac fundavit. Tandemque plenus dierum, operumque bonorum ad Superos abiit Anno 876. 15. Augusti: ejus corpus in templo SS. Cosmæ & Damiani ab ipso condito Essendiæ requiescit miraculis clarum.

V. MARQUARDUS Alfrido successit mirâ morum suavitate, animi candore, & pacis studio conspicuus. Quarto & ultimo Episcopatus sui anno: cum Nortmanni & Dani Religionem à S. Anschario in regnum suum invectam exosi Saxoniam incumberent certi cis & trans Albim omne Christianum nomen excindere; Bruno & Tanquardus Saxonum Duces collegere subjectarum nationum vires, ut vel hostium furorem reprimerent, vel fidem DEO datam vitâ & sanguine consignarent. Convenerunt ad castra Marquardus Hildesienfis Episcopus & Theodoricus Mindensis Episc. Cum aliis primoribus & Capitaneis Saxonum: qui in loco Ebbeckstorff cum hoste congressi, generosè quidem ejus imperus diu retulerunt, sed multitudine tandem obruti, cum Brunone Duce interneccione deleti sunt, & à Majoribus inter Martyres recensiti. Hos inter & Marquardus gloriosè occubuit Anno 880. 2. Februarii.

VI. WIGBERTUS Religionis studio, verbi Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, infirmorum visitatione, animarum, corporumque medicandorum peritiâ, librisque ea de re conscriptis clarissimus. Anno 887. Stephanus VI.
Pon-

Pontifex ad ejus preces Ecclesiam Hildesensem in specialem Sedis Apostolicæ protectionem suscepit. Anno 888. Concilio Moguntino, Anno 892. Arnulfo Regni conventu Francofurtensi & anno 895. Concilio Tiburiensi inter Primarios adfuit. Monasterium Virginum, prope Visurgim in monte, qui dictus est Sanctus, ut earum fortunæ, pudicitia & vitæ consuleret, Hildesum transtulit, & Parthenonem eiusdem construxit, eo ferè loco ubi nunc est curia Episcopalis, in quo sub S. Mariæ Magdalenaë patrocinio Deo servirent. Exeunte hoc seculo è vivis excessit 1. Novembris in templo S. Cæciliæ humatus.

VII. WALBERTUS Cùm esset religione & sanctitate, omnibusque virtutibus Præsule dignis inclytus, ac fidei propagandæ zelo magnis Germaniæ Apostolis accensendus; ad Insulam Hildesensem translatus; Dominicis Festisque diebus concionandi manus ipse obivit: Horis canonicis, aliisque officiis Divinis semper interfuit: cumque rerum temporalium curâ multum impediretur, omnia bona Ecclesiæ, in tres partes divisit, quarum tertiam Canonicorum sustentationi attribuit: eisq; Bavonem Administratorem sub nomine Præpositi constituit Anno 893. Cui sequentibus annis Cellerarius adjunctus est, qui domi rem familiarem curaret, quemadmodum Præpositus foris. Tandem Walbertus, cum optimè præfuisset Ecclesiæ ad Superos evocatus est Anno 903. 3. Novembris in Cathedrali Ecclesia ante altare S. Cæciliæ sepultus.

VIII. SEHARDUS Ex ordine Religioso ad anitram erectus, multa ad ornatum Summæ Ædis
con-

contulit. Aram sanctæ crucis fundavit, ipsamque uti
& summam eximiis ornamentis condecoravit: cum-
que Diœcesin multum auxisset, & 25 annis optime
administasset, vivere desiit Anno 928. 10. octobris
sepultus ante Altare S. Cæciliæ apud Prædecessorem.

IX. DIETHARDUS Abbas Hirsfeldensis
Anno 928. ad Ecclesiæ Hildesienfis regimen evocatus:
ruinosam Gandersheimensem Ecclesiam, sumptu
suo, ex fundamentis magnificè eduxit, atque unde-
cim annis absolutam honori Sanctissimæ DEI Geni-
tricis consecravit Anno 939. Anno 948. Concilio In-
gelheimensi interfuit. Anno 937. Magdeburgi Ottoni
M. Regi adfuit. Tabulam bipedalem auream marga-
ritis plurimis distinctam in sui mnemosynon in Ca-
thedrali Ecclesia aræ Principi inseruit, anno 1664.
in alia ornamenta commutata. Cumque 28. annis
Ecclesiam eximia cum laude gubernasset, migravit
ē vita anno 956. 13. Septembris.

X. OCHWINUS ē Monasterio Bergensi
prope Magdeburgum à pedo Abbatiali ad Episco-
pale accersitus Anno 956. Pagum Giesen bonis Ec-
clesiæ adjecit. Anno 961. Ottonem Regem à Joanne
XII. Pontifice ad comprimendam Berengarii ty-
rannidem in Italiam accersitum comitatus est. Ei-
dem anno sequente, cum Imperialibus insignibus
Romæ ornaretur, adfuit, & diploma, donationes Ec-
clesiæ Romanæ ab antecessoribus Imperatoribus &
Regibus factas confirmans, suâ quoque subscriptio-
ne firmavit. Româ redux, Ticino seu Paviâ cor-
pus S. Epiphaniî Ticinensis Episcopi contulit, ejus-
demque honori sacellum extruxit, miraculis postea
cele-

celebre & certum infirmorum asyllum. Obiit anno Episcopatus trigesimo, Christi verò 986. i. die Septembris.

XI. OSDAGUS è stemmate Nobilium de Algermissen ortus, Cathedralis Ecclesiæ hujus Præpositus, non virtute minùs & prudentiâ, quàm sanguine clarus, electus Episcopus: quo in munere, singulari in DEUM proximumque charitate ac castitatis dono eminuit: è bonis hæreditariis Majori Algermissen Ecclesiæ cum triginta mansis donavit. & vivis excessit anno 990. Regiminis quarto. 8. Novembris in crypta terræ mandatus.

XII. GERDAGUS ex Cellerario ordinatus Episcopus, Patribus morũ gravitate & vitæ munditiâ illustribus meritò accensendus: Bona Ecclesiæ auxit adjectis pagis duobus Minore Algermissen, & Sigbrechthusen sive Sibsen. Anno 993. ad limina S. Petri visitanda Romam profectus, in reditu Cumis tertio Episcopatus anno fati concessit. 7. Decembris. Corpus inde Hildesium delatum & ante Altare D. Petri tumulatum.

XIII. S. BERNWARDUS Patre Comite in Somerschenburgh, Matre Adalberonis Comitis Palatini Filiâ natus, ab Osdago Episcopo adhuc adolescens Tangmaro Presbytero & Scholastico commendatus condiscipulos ingenii præstantiâ & solertiâ longè antecelluit: scientiâ Philosophicâ, chymicâ, æconomicâ, architectonicâ, pictoriâ, ac denique metallorum fundendorum, ducendorumque peritiâ instructissimus. A Willigiso Archi-Episcopo Moguntino majoribus ordinibus, servatis consuetis
tem-

temporum intervallis, insignitus est. Subinde à Theophania Imperatrice in Aulam accersitus Ottoni III. septenni formando Præfectus, eum omni scientiarum, artiumq; genere ita excoluit, ut meritò orbis miraculum audiret. Ab eodem parentis loco habitus & Cancellarii honore condecoratus est. Anno 993. omnium votis, Imperatore annuente, Gerdago successor expetitus & à Willigiso Episcopus consecratus est. Temporis pretiosi gnarus æstimator, nihil superfluis conviviis aut facetiis, sed totum obsequio Divino, precationi, lectioni sacrae in seram usque noctem impendebat. Sub medium noctis psalmodiæ intererat: & aliis quietem repentibus, ipse preces, sacrasque commentationes, brevissimo somno interpolatas, usq; ad solis exortum producebat, ac Divinissimo Missæ sacrificio assistebat: publicis deinde negotiis vacabat: mensam frugalem lectione sacra condiebat: plerumque è Clero & populo convivas adhibebat: morbo senioque pressis è ferculis appositis nonnulla submittebat: centum indigentibus indies victum præbebat: ac pauperum neminem tam in civitate, quam vicinia sine liberali eleemosyna dimittebat. Hos inter accedenti Piligrimo, Archi-Episcopatus Colonienfis honorem prædixit, primamque ab ipso hostiam ea in Urbe litandam pro se offerri petiit, & impetravit ipso obitu suo Die anno 997. Occasione particulæ Crucis Dominicæ ab Imperatore acceptæ, in loco dumis & vepribus horrido honori sanctæ Crucis Ecclesiam erexit. Gandersheimense Monasterium incendio absumptum magnificentius restituit. Civitatem Hilde-

B

desien-

defiensē , id temporis patulam ac nondum adeo amplam mœnibus cinxit, & portâ ac turribus communivit; meritò alter civitatis Conditor à Bucelino nuncupatus in Annalibus Germaniæ Anno 1019. Atq; in tanti beneficii memoriam Civitas ejus effigie pro insigni est usa usq; ad annum 1528. Anno 1001. Monasterii S. Michaëlis fundamenta jecit, perfectumque fundis & opibus hæreditariis liberaliter dotavit, Religiosis D. Benedicti obtulit, & Goderamno Abbati primo, Viro Theologiæ laureâ & Marchionum profapiâ illustri, insigne suum, trabes rubeas in area aurea transcripsit. Templum Cathedrale picturis illustravit, pretiosisq; cimeliis ditavit, in quibus eminet calix aureus, ejus manu, ut creditur, fabrefactus & hodie dum asservatus cum hac inscriptione:

*Rex sedet in cœna, turbâ cinctus duodenâ:
Se tenet in manibus, se cibatur ipse cibus.*

Coronam præterea in Æde summa appensam ipse cœpit: cumque triginta annis summa cum laude Ecclesiæ præfuisset, in sacello S. Martini à se condito habitu Monastico indutus, spiritum DEO reddidit 20. Novembris circa annum Domini 1023. In Crypta S. Michaëlis à se exstructa sepulchro illatus, & miraculis clarus à Cælestino Pontifice Anno 1193. in numerum Sanctorum relatus est.

XIV. S. GODEHARDUS Teste Bruschio, Bucelino & Krantzio ex illustri stemmate Comitum de Scheyren in Bavaria natus, & S. Henrico Imperatori sanguine junctus, ex Abbate Althensi & Hirsfeldensi Præsul Hildesienfis & S. Bernwardo omni

nni

mni virtute & sanctitate non minor, Successor ab
 Henrico Imperatore designatus est; verum diu re-
 luctatus Infulam Episcopalem non ante admisit,
 quam cœlesti ostento de voluntate Divina erudire-
 tur. Quare ab Aribone Moguntino Archi-Episco-
 po solenni ritu consecratus est. In administrando
 pastorali munere adeò singularis ejus virtus enituit,
 ut cunctis esset venerationi ob vitæ sanctitatem, &
 admirationi propter miraculorum gloriam, quâ
 eum Divina Bonitas exornabat in variis morbis cu-
 randis, mortuis excitandis, & Dæmonibus fugandis.
 Anno 1024. è loco Suburbano ad Salinas, sive Sülta
 dicto, stygium inquinum Æthiopis specie conspi-
 cuum fugavit. Ibidem Xenodochium & templum
 S. Bartholomæo sacrum construxit, quod instar tes-
 seræ eidem passim appingitur. Anno 1025. in mon-
 te Suburbano, Zierenberg nominato, templum honori
 S. Mauritii dedicavit. Eodem anno insigne asce-
 terium Ordinis S. Benedicti Holchausen appellatum
 construxit atq; dotavit. Zelus ejus à molitionibus
 pro gloria Divina ac proximorum salute nunquam
 interquievit: hinc extra muros tum temporis Hil-
 desiensis à S. Bernwardo ad orientem ductos S. An-
 dreæ Ecclesiam cum vicino Xenedochio condidit,
 quæ Anno 1140. in Parochialem conversa, & Anno
 1200. Canonorum Collegio exornata est. Deniq;
 Anno ætatis suæ 78. Episcopatus laudabilissimè ad-
 ministrati 15. Christi verò 1038. in Monasterio Holt-
 hausano morbo fatali correptus, atque inde ad mon-
 tem S. Mauritii transportatus inter pios Psalmorum
 cantus beatam animam piissimè exhalavit 4. Maji

in Cathedralis Ecclesiæ Crypta sepulchro illatus :
miraculis & morborum curationibus celebris, Anno
1131. 29. Octobris ab Innocentio Pontifice Sanctorum
Catalogo adscriptus est.

XV. DIETHMARS Nobili in Dania
stirpe ortus, Conradi Salici Imperatoris Capellanus
regius & Arcanorum consiliorum Moderator S. Go-
dehardo in Cathedra successit. Ad omnia in Divi-
nis & humanis strenuus, à Bardone Metropolitano
Moguntino consecratus, præter diversas decimas Ec-
clesiæ iterum vindicatas, diversis bonis locupleta-
vit Ecclesiam : ejus donum est corona hodie dum
ante summam aram pendens. Elapso autem primo
aureo Hildesienfis Ecclesiæ sæculo, quo aurea ful-
sit Præfulum, & Sacerdotum pietas, & aurei since-
riq̄e populi mores, hi paulatim immutari cœpe-
runt. Anno 1040. Templum Cathedrale, tristi, in-
certum unde exorto, incendio conflagravit, cum
quo & varia Canonorum ædificia absumpta sunt.
Hâc incendii occasione, Cleri cohabitatio & mensa
ante conjuncta, seperata est. Episcopus verò ex-
acto sexenni regimine, morte repentinâ extinctus est
Anno 1044. 14. Novembris. In Crypta juxta S. Go-
dehardum humatus.

XVI. AZELINUS Henrico III. Imperatori
à sacris & consiliis, ejusdem autoritate ad Cathedram
Episcopalem promotus. Anno 1049. Concilio Mo-
guntino, cui Leo Papa & Imperator interfuit, cum 41.
Archi-Episcopis & Episcopis adfuit, ubi de pace
Galliæ reddenda actum fuit : Ipse etiam ab Henri-
co III. Imperatore diversas donationes amplissi-
mas

mas impetravit. Summam Ædem in cineres redactam restaurare molitus, ingentem materialium copiam congeffit, sed fabricam Successori reliquit. Decessit Anno 1054. 8. Martii in Crypta tumulatus.

XVII. HEZILO Ex regio Henrici Aucupis stemmate genus ducens Patrem habuit Brunonem III. Marchionem Saxoniae, Avum Ludolphum Henrici III. Imperatoris uterinum Fratrem. Juvenis excelsi animi, miraeque in rebus agendis dexteritatis, & liberalitatis in egentes, qui licet unica foret stirpis suae Principalis propago, statui tamen Ecclesiastico ab adolescentia se devovit; è Praepositura Goslariensi ad Insulam Hildesensem accersitus. Cathedralis Ecclesiae fabricae sexennio absolutae coronidem imposuit, eam formam & tecto cupreo quo hodie dum conspicitur: Ipseque eam ritu solenni consecravit Anno 1061. 5. Maji. Addidit deinde peristylia, aliaque Clericorum habitacula, ut eisdem ad strictiorem, sanctioremque veteris instituti formam reduceret. In Monte S. Mauritii templum exstruxit & 20 Canonicorum Collegium fundavit. Collegiatam quoque S. Crucis pro quindecim Canonicis instituit: ac denique transactis in munere Episcopali Annis 27. corporis vinculis solutus Anno 1079. 4. Augusti, in eodem monte terrae mandatus est.

XVIII. UDO Comes de Alveslewen ab Henrico IV. Imperatore ad Ecclesiae Hildesensis clavum moderandum evectus est, exegit in regimine annos 35. initio vitiiis addictus, post tamen

C

mo-

moribus sincerè correctis, Anno 1114. mortem op-
petiit, in Sacello S. Laurentii sepultus, ultimæ tubæ
sonum exspectat.

XIX. BRUNINGUS à Decanatu Gos-
lariensi ad Ecclesiæ Hildesiensis Gubernaculum pro-
motus, non minus vitæ integerrimæ & rigidæ lau-
de, quàm prudentiâ & eruditione præcelluit: sin-
gulari cultûs Divini studio & religionis promovendæ
zelo arsit: Diœcesin quadriennio rexit: Xenodochium
S. Bartholomæi in Sülta à S. Godehardo
fundatum, in Cænobium convertit, redivisusque
auctum Canonicis Regularibus D. Augustini incol-
endum transcripsit: in quod & ipse, abdicato Epi-
scopali onere, Anno 1118. secessit: vitamque priva-
tam, sacris meditationibus, aliisque pietatis officiis
suavem duxit, donec rebus humanis exemptus, ibi-
dem tumulo illatus est.

XX. BERTHOLDUS e nobili Familia
Toparcharum de Harlessen verosimiliter prognatus,
è Cathedralis hujus Ecclesiæ Præpositura ad supremam
pastoralem curam omnium calculo promotus est An-
no 1118. Vir fuit eruditione, modestâ morum gravi-
tate, continentia & religione longè præstantissimus.
Anno 1120. Asceterium Canonicorum Regularium
D. Augustini à nomine suo olim Barthelsrode, nunc
Marienrode dictum instituit. Pagum Harlessen, Ca-
thedralis Ecclesiæ facultatibus addidit: Anno 1129.
Præsente Lothario Rege Monasterium S. Servatii
Quedlinburgi consecravit. Ac magno sui desiderio
relicto piissime obiit Anno 1130. 14. Martii, Episco-
pari 12. In Summa Æde sub Altari Omnium San-
ctorum conditus.

XXI.

XXI. BERNARDUS I. Comes de Rotenburg & Dominus in Walhusen, quod Dominium ejus dono Cathedralis Ecclesiæ possessionibus accessit, ob raram virtutem & prudentiam è Præpositura ad pedum Episcopale invitatus & reluctans evectus est Anno 1130 cum omnium gaudio. Anno 1131. cum Lothario Rege ac universis ferme Germaniæ Episcopis Innocentio II. Pontifici adfuit in Leodiensi Concilio & in Autumno celeberrimum Concilium Rhenense cum S. Norberto Magdeburgensi Archi-Episcopo accessit, ubi effecit, ut in Divorum Catalogum referretur S. Godehardus. Cujus honori Templum & Monasterium Hildesii construxit ac fundavit: atq; in illa sacra ejusdem Divi Lipsana, supplicatione solenni è summa Æde transtulit, plurimis subsequens miraculis & beneficiis. Virginibus in Ringelheim reformationem recusantibus ex Ordine S. Benedicti Viros Religiosos substituit. Arcem & Comitatum Wintzeburg, morte Comitis per genium Pileolum, vulgò Hödeken dictum, sibi insinuatâ, recuperavit. Foundationem Monasterii Derneborgensis ratam habuit Anno 1143. Denique oculis captus, onus Episcopale resignavit: ac tandem Anno 1154. 20. Julii, post annos 23. in Episcopatu cum laude & sanctitate transactos, ad Superos abiit, corpus verò in Choro Templi S. Godehardi miraculis clarum requiescit.

XXII. BRUNO Ex familia Nobilium de Hotten seu Hottelem, primò Decanus, deinde hujus Ecclesiæ Antistes Anno 1153. electus, pietate & literarum studiis mirificè fuit deditus, unde vel doctissimis

ctissimis istius seculi annumeratus est. Enituit in eo singularis morum suavitas, modestia, continentia, ac Deiparæ cultus, cœlesti beneficio ac visione approbatus. Primus B. V. natalem cum octava celebrem habuit, totâque Diœcesi celebrandum præcepit. Arcem Wintzeburgensem turre pentagonâ communivit, Pagum Hottelem Ecclesiæ opibus adjunxit. Templum summum plurimis ornamentis, vestimentisque pretiosis, Bibliothecam libris instruxit: cumque decem annis laudabiliter præfuisset, obdormivit in Domino Anno 1164. 8. Octobris.

X X I I I. HERMANNUS Nobilis de Wennerde ex Præposito Collegiæ Sanctæ Crucis ad mitram Hildesinam electus Anno 1164. Eâ fuit eruditione & eloquentiâ, ut adhuc Diaconus ad Imperatorem Fridericum omnium nomine excipiendum Orator destinaretur, & coram ipso sæpius peroraret. Electus Præsul mox regalium investituram obtinuit & à subditis fidelitatis juramentum exegit. Animi demissione, mansuetudine, affabilitate & benevolentia in omnes fuit singulari: ardente cultus Divini promovendi zelo & exemplo præfulsit; Eximiam in pauperes liberalitatem ostendit; dum enim in summa annonæ caritate alii frumenta reconderent, ipse unus horreo aperto pauperibus gratis, divitibus levi pretio vendidit. Anno 1172. In magno procerum Conyentu primariam Urbis Brunswicensis Basilicam in honorem D. Blasii consecravit. Ob Patriæ devastationes, in terram sanctam iter suscepit, in quo naufragium passus ar-
reptâ

reptâ tabulâ solus evasit, atque ad littus Siciliae prope Syracusam appulsus Hierosolymam contendit: In reditu in Secusiensi Cœnobio spiritum DEO reddidit Anno 1174. 9. Julii. Miraculis ibidem clarus.

XXIV. ADELOGUS Cùm aliquot annis inter primos è Clero in Cæsaris Aula substitisset, & Præpositum Regalis Ecclesiæ Goslariensis prius egisset, deinde illi, ob raras virtutes, prudentiamque prorsus singularem ac generis excellentiam, Hildesienfis Ecclesiæ cura omnium suffragiis demandata est. Anno 1180 Comitibus imperialibus à Friderico I. Imperatore Erfurti habitis interfuit. Comitatu Dasselensi, & Baronatu Homburgensi Patrimonium B. MARIE Virg. auxit. In Terram sanctam cum Friderico Imperatore profectus, Anno 1190 Hildesium rediit, & 20. Septembris vitam clausit, in medio Cryptæ conditus.

XXV. BERNO Eruditionis, sapientiæ, omniumque virtutum splendore, primò Scholastici, tum Decani, deniq; Episcopi dignitatem promeruit, Ecclesiæ bona nonnulla vel pignori opposita vel in feudum data redemit, Præbendarum redditus auxit: S. Bernwardi recenter inter Divos relati cineres & ossa ex humiliore tumulo, in quo 171. annis delituerant, sustulit, & pretiosæ tumbæ inclusit, ac partem eorum ad Cathedralem Ecclesiam transtulit Anno 1194. ubi mira res omnibus visa, & virtuti Divinæ adscripta, vestem Sacerdotalem, seu casulam viridis coloris aureo filo intertextam sesqui seculo nihil vitii contraxisse ex humore

more loci aut tabe putrescentis corporis, sed integram & illaeram hodieum perdurare. Obiit tandem Berno Anno 1198. Octavo Episcopatus anno. Sepultus in navi Cathedralis Ecclesiae.

XXVI. CONRADUS I. Ex illustri Comitum Familia, vel de Querfurdt, ut sentit Letznerus, vel Reinstein aut Rabenspurg; ut vult Bruschius, S. R. I. Cancellarius, vir literatus & facundus, cum Imperatore Friderico Barbarossa Anno 1189. profectus est in expeditionem Hierosolymitanam, cumque is in Armenia merus in amne deficeret, Fridericus Filius Imperatoris & Conradus Cancellarius curam exercitus suscepere, & in Terra sancta rem diu sustinere. Sub ejus ductu inchoatus est Ordo Teutonicorum Militum Divae MARIE, initium facientibus Civibus Bremenibus atque Lubecensibus. *Krantz. l. 7. Metrop. c. 9.* Resignato subinde Episcopatu Lubecensi, Conradus Hildesensem adiit Anno 1198. ac postea Herbipolensem, suasu Philippi Regis, Sueviaeque Ducis. Vir fuit summæ apud omnes authoritatis, justus & æquissimus, prædonum latronumque osor summus. A duobus Equitibus auratis, in Francia Orientali, ob facinus aliquod ab ipso reprehensus, ex insidiis inopinato interfectus, Anno 1203. 3. Decembris, summo omnium luctu in Chorum Basilicæ deportatus & ibidem sepultus est.

XXVII. HARBERTUS Ex Familia Nobilium de Bevelde per gradus Officiorum Canonici, Cantoris, Præpositi, ad apicem Episcopatus conscendit; ob raras corporis & animi dotes, spemque eximiam

miam de illo conceptam, à Clero unanimi consensu electus, Proceribus & populo contradicente, quod partibus Regis Philippi adhæreret. Oppignorata Ecclesiæ bona redemit, damna compensavit, reditus auxit decimis & prædiis, atque excessit è vivis circa Annum 1208. 21. Martii, juxta Altare S. Catharinæ tumultatus.

XXVIII. SIFFRIDUS Vir religiosus, longè suavissimus atq; mitissimus, iisq; donis & virtutibus ornatus, quibus omnium animos in sui amorem & admirationem raperet; in gratiam Ottonis Imperatoris ad Insulam accersitus, Episcopatum adiit Anno 1211. Gessit decehno, dimisit Anno 1221. Septennio denique reliquo, vitam privatam agens ad ultimam luctam enixè se comparavit, eaque feliciter defunctus est Anno 1227. 12. Novembris, ante aram D. Petri terræ mandatus; variis modis de Ecclesia Cathedrali optimè meritus.

XXIX. CONRADUS II. Natales traxit è stemmate Nobilium de Reisenberg in Wederavia, ob insignem doctrinam laureâ Doctorali Parisiis condecoratus; singulari suâ facundiâ permultos ad castra contra Hæreticos Albigenses repullulantes attraxit, qui duce Simone Comite Montfortio Anno 1213. memorandam retulère victoriam, dum octingenti Equites & mille Pedites fuderunt, fugaruntq; centum & viginti Albigensium millia. Conradus inde ad Ecclesiasticum Ordinem transiit, primùm Canonicus Moguntinus, tum Decanus Spirensis, ac deniq; Hildesiensis Episcopus: neque unquam à belli sacri contra Saracenos & Albigenses promovendi

vendi ardore destitit, eo accensus, quater Romam
 adiit magnis impensis & laboribus. Initio Episco-
 patûs curas omnes in promovendo in omnibus tem-
 plis cultu Divino defixit: Ecclesiasticorum liberta-
 tem restrinxit, excessusq; punivit. Sub ipso sex
 omnino Deo dicatorum Asceteria sunt condita, in-
 tra Urbem tria, S. Pauli Patrum Prædicatorum,
 S. Martini Sociorum S. Francisci, & S. Mariæ Mag-
 dalenæ. Extra urbem verò totidem Parthenones
 Wülffinghusanum, Winhusanum ad Alleram, &
 Franckenbergense. In omnes liberalem animum
 ostendit, & post Urbis ferè totius incendium Anno
 1226 in Cives liberalissimum. Bona Ecclesiæ plu-
 rimum auxit. Condito atq; dicato S. Pauli Apo-
 stoli templo, ejusdem anniversarium conversionis
 diem in Urbe & Diœcesi festivum esse jussit & aga-
 pen instituit. Et quamvis Episcopatum in quiete,
 & in causis omnibus victor possideret, tamen quòd
 senio gravem & laboribus fractum, impari
 se muneri Episcopali judicaret, eodem se abdicavit
 Anno 1246. plurimum quoq; motus terribili reve-
 latione, quâ, dum persolutis mediâ nocte precibus
 matutinis ad sequentis diei concionem se pararet,
 alienato à sensibus animo, vidit Juvenem Germa-
 num ex Principum familia Episcopum ob varia cri-
 mina à Christo Judice judicatum, condemnatum
 & ad Tartari supplicia à Dæmonibus abreptum. Ut
 scribit Cantiprat. l. 1. Apum. c. 3. n. 84. Atq; ad vi-
 tam privatam agendam secessit primum in Cœno-
 bium PP. Dominicanorum ad D. Pauli, deinde in
 aliud ejusdem Ordinis Schönaviensē Diœcesis Wor-
 ma-

matiensis, prope Heidelbergam, ubi ad mortem rite comparatus eandem obiit Anno 1248. 18. Decembr.

XXX. HENRICUS I. Præpositus Heiligenstadiensis à potiore Electorum parte electus, contra Hermannum Præpositum Brunswicensem paucioribus suffragiis suffultum, triumphavit: facultates Ecclesiæ decimis aliisque bonis auxit, oppignorata redemit, superatis compositisque multis turbis, redditâ Diœcesi quiete temporali, ipse ad requiem æternam migravit Anno 1257. 25. Maij & in Cathedrali ad aram S. Catharinæ sepulchrum reperit.

XXXI. JOANNES I. Natus est in Schelde pago hæreditario Comitatus Woldebergensis, qui ipsius dono accessit Cathedrali Collegio; primum Canonicus, deinde in Monte S. Mauriti Præpositus, Anno demum 1257. omnium consensu electus Episcopus. Substituitis in locum priorum Religiosis aliis, Bartelsrodam, novale Mariæ seu Marienrodam appellari voluit. Gunzelinus Comes Peinensis cum prolibus careret, consentiente Fratre Ludolpho Beatissimæ Virgini & Joanni Episcopo certis conditionibus Comitatum cessit Anno 1260. Denique longiore vitâ dignus debitum naturæ solvit Anno 1261. 14. Septembris, magnoque omnium luctu in Ecclesia Cathedrali sepultus.

XXXII. OTTO I. Filius Ottonis, Frater verò Alberti & Joannis Ducum Brunswicensium; Anno ætatis 13. Subdiaconatum suscepit, eoque solum initiatus 14. Annis Episcopatum utilissimè rexit. Anno ætatis 27. Sacerdotium admisit, & jussu Pontificis à Wernero Archi-Episcopo Moguntino

E

con-

Consecratus Episcopus Lugduni in Concilio 500. Episcoporum. Ecclesiam ædificiis, decimis, piscaturis, silvis, castris, plurimisque bonis vi maximâ pecuniæ coëmptis vel redemptis locupletavit. Ex vitæ hujus ærumnis ad æternam felicitatem transit Anno 1279. Episcopatus decimo, & in Cathedrali quietis locum invenit.

XXXIII. SIFFRIDUS II. Comes de Querfurdt ex Decano Magdeburgensi omnium votis denominatus Præsul Hildesienfis. Vir fuit pietate, scientiâ, heroicâ animi magnitudine, aliarumque virtutum splendore, quàm sanguine illustrior. A Wenero Moguntino. Archi-Episcopo consecratus. Sarstede, aliâque loca bellis vastata instauravit; oppidum Gronaw inchoavit: varia bella cum Principibus vicinis vario Marte gessit. In territorio Böckla arcem Lewenbürg construxit, arcem Ruthæ firmis operibus vallavit: arcem Calenbergensem ab Ottone Duce Lunæburgensi muniri cœptam dejecit: castrum Westerhoven cum comitatu suo, uti & castrum Hundesrüggianum cum oppido Dasle Ecclesiæ comparavit: Templum Mariæ Magdalenaë, vulgò Cartallum exstruxit. Reditus Ecclesiæ S. Andreaë auxit. Inter varias bellorum turbas eximiâ semper in Deum pietate eluxit: nam missæ sacrificio indies intererat, mediâ nocte matutinum, reliquumque per diem officium cum Clero decantabat: omne à negotiis vacuum tempus sacrarum literarum commentationi, asceticorumque librorum lectioni impendebat: magno divini amoris æstu, piisque lacrymis vultum irrigantibus pontificalia

tificalia munia obibat, parœcias & Monasteria ipse visitabat, corrigebat, reformabat, omnium virtutum vivum spiransque exemplum. Post 30 annorum gubernationem felicem, licet infelici tempore, 27. Aprilis Anno 1310. vivere desiit, in Cathedrali sub corona majore sepultus: Princeps belli, pacisque tempore præstantissimus.

XXXIV. HENRICUS II. Ex antiquissima & illustrissima Familia Comitum de Woldenberg, candore, modestâ indole, ingenio placido, aliisque virtutibus è Decanali dignitate ad Episcopalem conscendere meruit Anno 1310. Multa passus, belloque impetitus arcem Steurgewaldt contra violentiam construxit. Comitatus Dasselenfis, Comite defuncto, possessionem adiit Anno 1312. Henrico VIII. Imperatore consentiente. Oppidum Bockenem à Comite de Woldenberg emptum Diœcesi addidit. Extinctâ Familiâ Comitum de Poppenburg à Poppone ex Suevia oriundo nomen trahente, eorum bona Diœcesi adjunxit; partim ab Henrico III. Imperatore donata, partim empta. Avenionem ad Pontificem profectus, ibidem febris correptus, extinctusque est, post annos octo in Episcopatu castissime integerrimeque traductos. Anno 1318. 13. Julij in Monasterio S. Claræ honorificè sepultus.

XXXV. OTTO II. Licet ultimus esset hæres Illustrissimæ Familiæ Comitum de Woldenberg, spretis tamen seculi deliciis, in statu Clericali Deo famulari maluit. Præpositus cum esset in Monte S. Mauritij, agapen sive auream charitatem fundavit, eâ intentione, ut si forte in Ecclesia majore cultus

cultus divinus vel omiffus, vel minùs devotè reverentèrve peractus per anni decursum fuiffet, B. V. patrocínio, ac proborum virorum præfentium precibus compenfaretur. Totius deinde Capituli Cathedralis unanimi confenfu in Præfulem electus, Comitatum Woldebergenfem Ecclefie adjecit. Præfecturam Lindaw in Eichsfeldia, & Præfecturam Lutter cöemit. Arcem Steurwaldt muris, foffis, turribus munivit: castrum Poppenburgenfem ferè collapfum inftauravit: Monafterium Wittenburgenfem non procul à veteri arce Poppenburgenfi, 12. Canonicis Regularibus D. Auguftini fundatum tradidit Anno 1328. Quatuor Canonicatibus in Cartallo quintum addidit. Denique Anno 1335. 22. Augufti morti ceffit, in Cathedrali ante aram omnium Sanctorum tumulatus.

XXXVI. HENRICUS III. Filius Alberti Ducis Brunfwicenfis, ex Canonico hujus Ecclefie omnium fuffragiis ad Epifcopatum evectus Anno 1335. cum Erico Comite Schowenburgico Regiminis corripuali varia bella geffit: eo mortuo, optatâ pace potitus curas omnes ad Ecclefie commoda convertit. Comitatum Schladenfem à Meinone ultimo illuftris illius Familie, emit; Territorium Widelah, olim Baronatûs Dörftadienfis partem, magno ære comparavit à nobilibus de Gowifch. Præfecturam Woldenftein, nunc Bilderlah dictam, Comitatus Woldenbergenfis partem, à Barone Siffirido de Homborch emit ac Diœcefi addixit. Deinde coëmpta hæc Dominia in tres Præfecturas convertit; iisq; fuâ induftriâ quartam adjecit Marienburgum, cujus ar-
cem

cem ex fundamentis erexit. Ad conservandam
 tanti beneficii memoriam (cum Anno 1362. 6. Fe-
 bruarii pie obiisset, & ante Capitulares de cautela
 in Successoribus eligendis adhibenda monuisset)
 lapidi sepulchrali in summa Æde infra majus Orga-
 num quatuor laminæ æneæ affixæ, dictas quatuor
 Satrapias repræsentantes. Anno 1350. sub ipso pri-
 mum celebrata hîc solennitas corporis Christi, ab
 Urbano IV. Pontifice instituta Anno 1264. ductâ
 per totam Civitatem supplicatione solennissimâ.
 Præter 4. Satrapias Dassel, Lindaw, Westerhoffe &
 Poppenburg aliis oppignoratas, decem liberas,
 Steurgewaldt, Pein, Marienburg, Ruthe, Leven-
 burg, Schladen, Widelah, Lutter, Woldenstein
 & Wintzeburg Successori reliquit.

XXXVII. JOANNES II. Patriâ Colo-
 niensis, ex Ordine S. Dominici, prius ad Culmen-
 sem, deinde ab Innocentio VI. Pontifice ad Hilde-
 siensem mitram promotus, ob animi candorem,
 mansuetudinem, suavitatem, modestiam, demissio-
 nem, & scientiam insignem, populo & omnibus
 gratus, post biennale regimen, vitæ privatæ aman-
 tior, consentiente Pontifice Anno 1364. & Capitu-
 lo approbante, in Decanum Hildesensem, utpote
 bellicis hisce turbis aptiorem, onus Pastorale tran-
 stulit, sed per Urbanum V. Anno 1368. Augustanæ
 & Wormatiensis Ecclesiæ gubernaculo admotus,
 tandem rursus, eo abdicato, in optatis sibi latebris
 reconditus, obiit Anno 1378. 1. Aprilis.

XXXVIII. GERARDUS Patre Ottone
 Barone de Monte, & Matre Wichilde Comitissâ de

F

Hoja

Hoja natus, Orator & Poëta eximius, virtutibusque
 Ecclesiastico Præsede dignis instructus, foris magna-
 nimus & bellicosus, domi providus & circumspē-
 ctus, mitrâ Verdensi per resignationem depositâ,
 Hildesienfi coronatus est Anno 1364. Diœcesin incre-
 dibili fortitudine & sapientiâ rexit; varia bella ges-
 sit, inter quæ hoc fuit illustrius. A Magno Duce
 Brunswicensi, Theodorico Archi-Episcopo Magde-
 burgensi, & Alberto Episcopo Halberstadiensi ad
 bellum inopinatò & inermis lacesitus Anno 1367.
 cum 500 militibus undique raptim collectis, unâ
 cum Abbate S. Michaelis Bodone ab Oberg, se tueri
 decrevit: cumque humana præsidia levia putaren-
 tur, ad divina confugit: & postquam totam noctem,
 quæ pugnam decretoriam præcessit, stratus humi
 ante aram B. V. inter preces exegisset, manè Tem-
 plo summo egressus, Virgini se & prælii eventum
 commendavit, & promissò inaurato tecto, obviam ho-
 stibus processit. Advertens verò suos conspectâ emi-
 nus hostium multitudine terreri, eosdem promissâ
 ope B. V. & ostensâ Ludovici Pii Lipsanothecâ,
 animavit, asserens, se mille viros habere in manica:
 utque suos vidit erectos & vi divinâ inflammatos,
 toto impetu in hostem irrumpens, aciem adversam
 primo incursum inclinavit, & ingentem multitudi-
 nem paucis fudit, fugavitque. In loco prælii præ-
 ter submersos, & captos occubuere 1500. quos inter
 Woldemarus Princeps Anhaltinus, Albertus Co-
 mes de Mansfeldt, Wolradus Comes de Querfurdt,
 & alii complures viri illustres: ipse Dux Magnus &
 Albertus Episcopus Halberstadiensis captus. Pugna per-

peracta inter pagos Dincklar & Varmiffen. Gerardus verò voti aut promissi reus, ex pecunia lytri nomine soluta, turrim choro imminentem, laminis inauratis stravit: emptâque suburbanâ areâ, P. P. Carthusianis eximiis B. V. cultoribus habitaculum struxit, quod Claustrum S. MARIE appellari voluit Anno 1388. Arces Steinbrücken & Cöldingen uti & castrum Vinenborg cum adjuncto territorio à Comite de Wernigerode coemptum, Dicecesi adjecit. Ætate denique grandior, adlecto Coadjutori Joanni Comiti de Hoja Episcopo Paderbornensi 19. Præfecturas reliquit, felicem æternitatem ingressus Anno 1398. 15. Novembris. 34. Episcopatus: in templo Carthusiæ suburbanæ à se constructæ & dotata, ut optarat, sepultus.

XXXIX. JOANNES III. Cujus præcipua laus, quod Ottoni Monasteriensi Episcopo fratri suo armorum gloriâ & amore haud impar fuerit: cæterum vitiiis & deliciis addictus, præfecturis & aliis bonis Episcopalibus aut oppignoratis aut alienatis, in omnium odium dejectus, inglorius decessit, postquam 26. Annis pessimè præfuisset Anno 1424. in Cathedralis Ecclesiæ navi tumultatus.

XL. MAGNUS Patre Erico Duce inferioris Saxonie & Lawenburgi natus, Episcopus Caminensis, primùm Coadjutor, deinde Episcopus Hildesienfis, summâ cum lætitiâ exceptus, singulari humanitate affabilitate & mansuetudine omnium animos sibi devinxit: arces nonnullas instauravit & ære alieno liberavit, omniaq; in pristinum statum reponere studuit, ac prædones repressit. Ejus suasu, Borchardus Steinhoff
ca-

Cathedralis Canonicus & Cellerarius, Clero ad aliquam veteris disciplinae formam reducendo, Sacellum S. Antonii cum imminente dormitorio construxit, Anno 1443. sed sine frustratus. Approbante Magno Eghardus ab Hanensehe Cathedralis Præpositus novam Civitatem hactenus solo muro cinctam, vallo & fossâ communivit, ab Anno 1450. ad 1461. Deniq; senio & laboribus confectus, & nominis omen implens, cum 17. numeraret Dynastias, & 28. Annis Diœcesin optimè rexisset, & Coadjutorem admisisset, piè obdormivit Anno 1452. 21. Septembris in navi Cathedralis Ecclesiæ sepultus.

XLI. BERNARDUS II. Dux Lunæburgicus è Coadjutore, Magni in Episcopatu successor, sexennio præfuit, cumque sacrorum ordinum adhuc expertus esset, ac secularis vitæ potiùs, quam Ecclesiasticæ amore teneretur, dimisso Episcopatu, Anno 1459 Mechthildem filiam Ottonis Comitis Schowenburgensis, uxorem duxit, Anno 1463. à qua tamen intra anni spatium per mortem avulsus est.

XLII. ERNESTUS I. Ottonis Comitis Schowenburgici Filius, Mechtildis prædictæ Frater, nullis sacris ordinibus initiatus 12. Annis administravit Diœcesin, à Friderico Duce Brunswicensi in prælio fusus, fugatusq; in morbum lethalem dejectus, nullis Ecclesiæ Sacramentis præmunitus, æternitatem ingressus est. Anno 1471. 22. Julii. Ad Altare S. Petri prope Sacristiam tumulatus.

XLIII. HENNINGUS. Dicitur de Domo, vir probitate, gravitate, modestiâ, eruditione & corporis proceritate præcellens, è Decano Cathedrali,
plu-

pluribus votis Hermannum Hassiæ Landgravium superans, electus est Episcopus: sed arcibus ab æmulo occupatis diu exclusus, desertusq; exitit. Donec à Bartholdo Barone de Lansberg 49. Verdenfi Episcopo, cum 400. Equitum Comitatu, in urbem inductus, magnôq; gaudio Cleri, Senatûs ac Populi exceptus ac salutatus est Episcopus. Tandem ultro cedente Hermanno, ac postea ad Archi-Episcopatum Coloniensem promotus, post triennales turbas, septenni quiete gavissus fuit, ac deniq; laboribus & senio fessus Anno 1481. munus decennio gestum Bartholdo Verdenfi Episcopo cognato, de se & Diœcesi optimè merito transcripsit: ipse verò privatam vitam amplexus, omnibus pietatis officiis, & misericordiæ operibus, optimi Ecclesiastici & Præfulis exemplum reliquit. 7. Aprilis ante Altare D. Petri sepultus.

XLIV. BARTHOLDUS. Eruditione & juris peritiâ clarissimus Anno 1481. totus cataphractus, Wilhelmo & Friderico Ducibus Brunswicensibus honoris gratiâ stipatus, cum gaudio & plausu exceptus Civitatem intravit: variis deinde bellis gestis, ad pietatem restaurandam curas intendit. Annum 1490. Verdæ exegit, & coronidem fabricæ istius templi imposuit, cujus chorum Conradus 34. ejus loci Episcopus struxerat: ipse verò navem templi Anno 1473. cœptam, hoc Anno absolvit & consecravit. Deniq; senectute curisq; confectus, ac relictis passim in Diœcesi præclaris restitutæ religionis & pietatis vestigiis, ut ad supremam luctam meliùs se compararet, abiit è Diœcesi in arcem Rotenburgensem à se munitam, ubi spiritum DEO reddidit Anno 1503. Pridie

G

Ascen-

Ascensionis Domini, & in Verdensi Ecclesia locum quietis invenit, postquam Ecclesiæ illi Annis 33. Hildesienfi vero 21. laudabiliter præfuisse.

XLV. ERICUS Dux Saxoniae, Angariae & Westphaliae, Canonicus Metropolitanae Colonienfis, postulatus Episcopus Hildesienfis Anno 1503. magnâ pompâ à Nobilibus & Civibus in Civitatem introductus: paulò post Episcopatum resignavit, vel Capitulo Cathedrali consentiente, in Fratrem Joannem transtulit.

XLVI. JOANNES IV. Prædecessoris Frater eodem Anno 1503. ex eadem Saxoniorum Ducum familia in Cathedra Hildesienfi successit. Ex 24. Præfecturis, quæ nobilibus aliis oppignoratae erant, solum Steurwaldensem immunem incoluit, & frugalitate suâ tantum collegit pecuniæ, ut Lawensteinium à DD. de Sakderen, uti & alias nonnullas Satrapias ab aliis redemerit. Joannes & Dux Lunæburgicus in prælio victores, contra Brunswicenses Duces, Ericum captivum cepere, uti & Wilhelmum & Ernestum: verum hi pro lytro promisso dimissi, graviora belli incendia contra solum Joannem excitarunt, arcem Ruthensem exusserunt, Steinbruggensem, Woldenbergensem, Lewenburghensem, Peinensem aliasq; aut vi, aut præsidio sponte se dedente, interceperunt: Et Joanne à Carolo V. Banno subjecto, atq; à tractatibus excluso, Duces Ericus & Henricus victores Capitulo, Clero, & Nobilitati citatis Quedlinburgum certas pacis conditiones proposuere, Præfecturasq; inter se divisere. Deniq; Joannes cognito tractatum Quedlinburgicorum eventu suis valedixit,

&

& in Marchia Brandenburgica apud Joachimum Electorem delituit, donec Anno 1547. 30. Novembris Lubecæ pie mortuus & Ratzeburgi sepultus, postquam majore laude, quàm felicitate 44. Annis Episcopatum rexisset.

XLVII. BALTHASAR Prope Friburgum in oppido Waltdkirchen humili loco natus, doctrinæ beneficio primum ad lauream Doctoralem, deinde ad Vice-Cancellarii totius Imperii dignitatem, ac deniq; ad honoris Episcopalis apicem conscendit: cum enim Cathedrale Capitulum, ejus tum doctrinæ præstantiâ, tum quâ valebat apud Cæsarem gratiâ, omnia restitutum iri speraret, eâq; spe Joannem ad Episcopatum resignandum induxisset, Balthasarem consensu unanimi elegit. Qui Anno 1528. mitram sibi oblatam acceptavit, & ex portu Bilbao solvens, Flissingam pervenit, inde variis in via Principibus, ac Ducibus etiam Brunswicensibus salutatis; tandem Hildesium appulit. Tertio ab adventu suo die, postquam de pace & fide Catholicâ à Majoribus acceptâ retinendâ, ad Proceres & Senatores præclare perorasset, mox equum conscendit & tribus solum comitibus stipatus, Spiram ad Imperii comitia discessit. Hildesiensibus, ut Aquilam insigni addere liceret, à Cæsare obtinuit. Ipsum verò moras longiores trahentem, Legati Hildesiensēs insecuti, Spiram venêre, ut reditum Præsuli suo periuaderent; Populiq; suspensiones, de quadriduanâ, ante adventum suum, apud Duces vicinos morâ, & suo discessu Hildesio, aperuêre. At Balthasar causas, quibus à reditu præpediretur obtendit; ac postmodum Anno 1531. Treviros pro-

profectus est: inde autem discessurus, cum ipsa Pentecostes solenni die equum conscenderet, apoplexiâ tactus, editis pœnitentis animi signis, morte repentinâ decessit: ibidem in Ecclesia tergemina S. Simeonis terræ mandatus.

XLVIII. OTTO Comes Schowenburgicus, antè Ecclesiæ Hildesienfis Præpositus nominatus, cum esset Wilhelmi Nassoviæ Comitis ex Sore nepos, Wilhelmus summâ, quâ apud Cæsarem pollebat, gratiâ, omniq; studio allaboravit, ut Hildesienfis Infula nepoti cederet. Quare à Cathedrali Capitulo, in afflictissimo Diœceseos statu, omnia rursus meliora sperante, conjunctis suffragiis electus est. Verum recens Electus juvenili adhuc agitatus calore, vitæq; licentioris amore captus, confirmationem Pontificis, cum toto sexennio petere negligeret, Sanctitas sua pro nova electione semestri præscripsit, quo si electio non procederet, vi ad se devoluti juris Antistitem se substituturum comm inatus est. Proinde Otto aut ordines suscipiendos, aut Episcopatum sibi deferendum advertens, liberam Capitulo electionem permisit, & connubii impulsus amore, Præposituram Fratri suo Adolpho, postmodum Coloniensi Archi-Episcopo, transcripsit.

XLIX. VALENTINUS A Teteleben Prænobili stemmate in Misnia oriundus Moguntinæ, Magdeburgensis, & Hildesienfis Ecclesiæ Canonicus, Francofurtensis Præpositus, & Archi-Episcopi Moguntini in Spiritualibus Vicarius, Doctorali laurea, prudentiâ, circumspetione, castissimæ, integerrimæq; vitæ laude conspicuus, atq; ob rara naturæ,
gra-

gratiæq; talenta Episcopali honore dignissimus; quem, diu reluctatus, tandem tamen opè divinâ fretus acceptavit. Mox Romam profectus à Pontifice; confirmationem, & à Carolo V. Imperatore regalia obtinuit. Subinde Hildesum redux, magno omnium Ordinum gaudio & plausu susceptus Anno 1538. 28. Maij Episcopatus possessionem adiit. A Serenissimis Ducibus vicinis, porrecto libello, occupata Diœceseos loca repetiit; at repulsam passus, Romam rursus contendit litem promoturus, quæ & in Cardinalium Consistorio favorabiliter decisa est: quoniam verò Carolus V. ob singularem Ducis Henrici fidelitatem erga Cæsarem, & in fide Catholica constantiam, decretum suum retractare nolebat; Valentinus, licet extrema omnia tentaret, actum agebat. Interea Anno 1543. Civitas Hildesiensis desertâ Religione antiquâ Romano-Catholicâ, (in quâ per Guntharium, primum Hildesiensem Episcopum, sub Ludovico Pio plantatâ, ultra septingentos annos perstiterat) ad fidem Lutheri transiit. Valentinus autem irritos cernens labores suos indefessos, tandem in mœrorem, fatalemque morbum dejectus, ad sudorum præmia evolavit, Anno 1551. 28. Aprilis, in templo Minorum conditus, postquam Ecclesiam hanc 13. Annis majori laude, quàm felicitate gubernasset.

L. FRIDERICUS. Holsatiæ Dux & Christiani Daniæ Regis Frater, cum Capitulum Cathedralè Præsulem potentem quæreret & amplissima tam Daniæ Regis, quàm Cæsaris promissâ accederent, Episcopus postulatus est 3. Octobris Anno 1551. sed spes & expectatio Capitulum fefellit: Fridericus enim

H

enim

enim juvenili calore abreptus, vitæ licentiori fræna laxavit, Ordines sacros non suscepit, dubiæ Religio- nis habitus: Agentibus Theodorico Bleckero Scho- lastico & Luca Mollero Canonico Cathedrali, pro Peina redimenda, quam Civitas Hildesienfis oppigno- ratam habebat, pleraq; hujus Civitatis templa, scili- cet S. Pauli cum Cænobio PP. Dominicanorum, S. Martini cum Monasterio PP. Franciscanorum, tem- plum S. Michaëlis PP. Benedictinorum, Collegiatam S. Andreae cum ædibus vicinis Canonorum, Paro- chiales Ecclesias S. Jacobi, & S. Lamberti, ac S. Geor- gij, quod Ordinis erat Teutonici, eidem Civitati cessit, & Anno 1555. in Holsatiam rediit, ubi anno sequente, 27. Octobris, mortis victima cecidit, Anno ætatis 25. Sleswici tumulatus.

LI. BORCHARDUS. Ex Prænobili ac pervetusta Dominorum ab Oberg prosapia ortus, post varias tricas & difficultates à Theodorico Bleckero Scholastico obmotas, ex Decano & Capituli Cathed- ralis Seniore, Anno 1557. Episcopus est renunciatus. Vir fuit excelsò & generosò animo, juris sui retinens, eâ vitæ integritate, & virtutum Præsule dignarum splendore, ut Principes alios in amorem æquè ac re- verentiam pelliceret; eâ devotione ac pietate, ut cum Sacerdote domestico, in Crypta Divæ Virginis, noctes integras precando exigere soleret, in lacrymas tene- ræ devotionis indices effusus. Post remoras & dissen- siones sexennes, pace cum reluctantibus initâ, Anno 1562. festâ S. Andreae luce, Borchardus majore, quàm ante ipsum Fridericus, pompâ Hildesium intravit, in comitatu 300 Equitum, omnium Patriæ Nobilium, ma-

maximam partem sibi sanguine junctorū. Postero autem die, præcedentibus 63. Nobilibus, ac subsequētib; omnium Ordinum Præsulibus, Ædem Cathedralē ingressus, more Majorum possessionem cepit; omnesq; convivio Principali unā cum Consulibus, Senatoribus & 24 Viris honoravit. Deinde ad Clerum reformandum animum adjiciens, omnium Ordinum Sacerdotes ad se evocatos magnificā, & Episcopo dignā oratione ad mores vitamq; Sacerdotali dignitati congruentem cohortatus est. Anno 1564. post varias difficultates, Arcis Steurwaldensis oppignorationem, numeratis Duci Holsatiæ 36 Imperialium millibus, redemit. Supplicationem publicam, campanarum ad Officia Ecclesiastica & divina sonum, psalmodiam & cantum solennem, aliāq; pietatis exercitia, uno & viginti annis intermissa, summo Catholicorum gaudio, restituit. Majori, quā initio sperari poterat, pace & tranquillitate rexit; donec tandem Anno 1573. Curis & laboribus confectus in arce Steurwaldensi piissimè spiritum Creatori reddidit. 23. Februarij. Funus magno, honorificoq; comitatu Hildesum deportatum, resonantibus omnibus totā Civitate campanis, deducentibus Ecclesiæ Cathedralis, aliisq; Prælatibus & Canonicis, necnon Nobilibus, Officialibus, Veterisq; Civitatis Consulibus ac Senatoribus, 27 Februarij haud procul à Sacratio sepultum est, cum hac Cippi epigraphæ.

Hic jacet Hildesiæ Præsul Borchardus ab Oberg;

Ille Pater Patriæ est, Altitonantis ope.

LII. ERNESTUS II. Alberti Bavariæ Ducis Filius, Episcopus Frisingensis, Anno 1573. 7 Martii

tii

tii Ecclesiæ Hildesienſis, Anno 1581. Leodiensis, Anno 1583. 23. Maij, submoto Gebhardo, Metropolitanæ Coloniensis, Anno 1585. Monasteriensis Infulam, pedumq; adeptus est. Hildesienſis Antistes postulatus mox eodem anno Consilii Præsidem, & in Spiritualibus Vicarium constituit Gebhardum à Bothmer virum canâ probitate & modestâ gravitate venerandum. Sub hoc Principe ad Cathedram Concionatoriam Summæ Ædis, aliquot Annis vacantem, accersitus est Henricus Winichius, ex primis Collegii Germanici Alumnis, Theologiæ Doctor, demissionis tantæ, ut mitram Viennensem, binosq; Suffraganeatus oblatos recusarit, negans se eâ virtute esse, quæ Sacerdoti sufficeret, multo minus tantæ dignitati: fuit doctrinâ, ac spiritûs fervore celebris Ecclesiastes, qui nutantem hic rem Catholicam diu sustinuit. Anno 1576. Ernestus Coloniae Sacerdotio initiatus est; atq; ut plurimorum hujatum votis obsecundaret, eodem Anno 3 Octobris Arcem Steurwaldensem magno plausu est ingressus. Anno 1587. P. Joannes Hammerus Saltzgitterensis S. J. Sacerdos, primus Heiligenstadio Hildesium evocatus est: Concionibusq; suis ac Catechesis sacrâ, brevi aliam Catholicæ Religionis faciem, gratiâ divinâ adspirante, induxit, tantumq; profecit; ut quot dominicis longè plures numerarentur in mensa Eucharistica, quàm antehac in solennitate Paschali. Peinam, quam mortuo Friderico Episcopo, sumptuum prætextu, Dux Holsatiæ hucusq; retinuerat, acceptis 60 Imperialium millibus, restituit. Serenissimus verò Ernestus Anno 1612. Arensburgæ 7 Februarii vitam clausit, Anno ætatis

tis

tis 85. Administrati Episcopatus hujus 38. Cui in Cathedrali Ecclesia à Clero, Populoq; ut *Patria Defensori* solenniter parentatum est.

LIII. FERDINANDUS Serenissimi Ernesti nepos, è Domo Bavarica Princeps Elector & Archi-Episcopus Coloniensis, Anno 1613. festo S. Andreae per Heidenricum à Lethmate Cathedralis Ecclesiae Decanum, publicè renunciatus est Administrator Hildesienfis, summo Ecclesiae hujus emolumento: nam Anno 1629. promulgato per omnes Imperii Circulos restitutionis Edicto, de restituendis omnibus post transactionem Passaviensem Catholicis ademptis, & latâ Spiræ sententiâ definitivâ, ut omnia Ferdinando redderentur, quæ Anno 1521 sub Joanne Episcopo amissa; per Deputatos è Capitulo Cathedrali Wilhelmum ab Hörde, Nicolaum Wilhelmum à Schnetlage, Rabanum de Lippe, & Ernestum Macke Cancellarium 30 Decembris apprehensa possessio, primùm Præfecturæ Ruthensis, & Cöldingensis, deinde anno sequente, 1630. Præfecturarum Wintzeburg, Bilderlah, & Woldenberg. Deniq; Episcopatus totus, sine cujusquam obstaculo (Generali Tyllio præsidia tenente) vindicatus est, postquam ultra centum annos in Serenissimorum Ducum Brunswicensium manibus fuisset. Atq; hæc restitutio Anno 1635. Articulis pacis Cæsarem inter & Saxoniae Electorem inserta, confirmataque est. Anno 1632. Franciscus Wilhelmus Episcopus Osnabrugensis ex Commissione Cæsareæ Majestatis & Serenissimi Electoris Urbem hanc, & Diocesim reformare aggressus est; & celebratæ Anno 1633. In Cathedrali Ecclesia Synodo

Generali praesedit. Anno 1633. in autumnno obsideri coeptum Hildesium a copiis Lunæburgicis, & Anno 1634. 22. Julii certis conditionibus, deditum, retentumq; : donec Anno 1643. pacis foedera Archi-Episcopum Coloniensem inter & Duces Brunswicenses percussa sunt, atq; his Wolffenbutum & Einbecka, illi verò Hildesium cum Praefecturis, sub Joanne Episcopo amissis, restituta sunt, subtractis iis, quæ vel hypothecæ vel feudi nomine possessæ ferebantur. Deniq; mense Octobri educto è Civitate Hildesiensi, Praesidio Lunæburgico, Principis Ministri, Canonici, Religiosi, cæteri; Catholici, qui ante novennium excesserant, rediére. Ferdinandus verò postquam Episcopatum hunc tribus Praefecturis constantem, in pristinum statum & vigorem restituisset Anno 1630. deinde prorsus amissum, in eam quæ modo est amplitudinem reposuisset, Arensburgæ Anno 1650. 13. Septembris ad vitam meliorem evocatus est: cui ut *Patriæ Recuperatori*, à Cathedrali Capitulo, reliquoq; Clero ac Religiosorum Cœtibus cum luctu parentatum est.

LIV. MAXIMILIANUS HENRICUS Bavariæ Dux, Archi-Episcopus & Princeps Elector Coloniensis, atq; hujus Episcopatus Coadjutor, Anno 1650. mense Octobri, solenni ritu ejusdem possessionem adiit, per Gommissarium Arnoldum Baronem ab Hoensbruch Cathedralis Ecclesiæ Praepositum, qui cum juramentum ex more Capitulo praestitisset, mox illud quoq; à Cancellario, Consiliariis, aliisq; Ministris exegit. Anno 1652. 16. Februarii Serenissimus Elector Hildesium ingressurus, Arcem Steurwaldensem transiit, ac per portam Orientalem, aliquot

quot Equitum, Peditumq; turmis stipatus per forum
 ad Curiam Episcopalem pervenit, ubi Clerum Ca-
 thedralem, aliosq; Prælatos ad manûs osculum ad-
 misit. Festâ S. Matthiæ luce, solenne in summa Æde
 sacrum decantavit, ritibus & symphoniâ, quibus ad
 eum diem hoc loci nihil simile aut visum, aut auditum.
 Idem Serenissimus 26. Februarii in Curia Magistratui
 jura & Privilegiâ quædâ confirmavit; ac deinde homa-
 gium præstitit tota in foro Collecta Civitas: Diebus
 Christo resurgenti & Virgini ab Angelo salutatæ sacris,
 Maximilianus Henricus præclara pietatis argumenta
 dedit, quando ritu Pontificali rem divinam peregit
 sacram synaxin distribuit, & Confirmationis Sacra-
 mentum, Ordinésque sacros quàm plurimis contulit.
 Die 12. & 13. Aprilis in Cathedrali Ecclesia magnificè
 synodum celebravit, cujus acta Anno sequente typis
 vulgata sunt. In hebdomade sanctâ, die Parasceves,
 templa Catholica, non sine singulari animi demissione
 ac devotione pedes adivit, precesq; pias fudit. Post Pa-
 scha hinc discedens, in transitu Serenissimos Duces
 Brunswico-Lunæburgicos Christianum Ludovicum
 Cellis, & Georgium Wilhelmum Hannoveræ invisit,
 à quibus Basilicè exceptus est. Deinde durante 37 AN-
 norû pacifico regimine, plerásq; arces, domósve Præ-
 fecturarum hujus Diceceseos, cum sacellis, aut restaura-
 vit, aut è fundamentis erexit, impensis 300 propè Im-
 perialium millibus: Poppenburgi, Ruthæ, Bilderlahæ
 & Schladæ animarum Curatores denuò instituit. PP.
 Capuccinos Hildesium revocavit, variasq; ædes à Civi-
 tate coemptas eis attribuit. Deniq; Anno 1688.3. Junii
 st. n. diuturno morbo confectus Bonnæ placidè & piè,
 uti

Anno 1666.
 22. Decembra.
 Maxim: Hen.
 Dominæ Co-
 mitissæ de
 Rantzau cum
 religiosis Vir-
 ginibus, quæ
 cum ea Pari-
 sis venerant.
 Monasterium
 sacri ordinis
 Annunciat:
 celest: Beth-
 lehem dictum
 intra Hildesi-
 um fundare
 ac ædificare
 permisit.

umque conceptuum communionem adhibitus, eam Principi & Ecclesiæ isti operam navavit, annos triginta natus, quæ longo rerum usu exercitatos magni nominis senes, pro gloriæ suæ meta non dedeceret. Complures arduas Legationes, non tantum ad varios Germaniæ Electores & Principes, verum etiam ad uniti Belgii Proceres suscepit: in harum fructibus eminet illud, quod consilio & industriâ suâ, impeditis aliquoties Batavorum suppetiis, effecerit; ut & Monasterium in Episcopi ac Principis sui fide perstiterit, & gemina Catholicis templa non amiserit. Anno 1654. Profecto ad Ratisbonensia Imperii Comitata Celsissimo Christophoro Bernardo, per Annum, usq; ad reditum, in Episcopatu administrando locum tenuit, non sine laude & satisfactione subditorum. Deniq; Anno 1655. vacante per privationis sententiam Decanatu Monasteriensi, unanimi consensu ad dignitatem hanc Decanalem electus est 5 Aprilis. At tot gloriosis & prosperis exultantem, non nihil tentare adversæ Fortunæ libuit; quando Monasterii Anno 1667. ratione nonnullorum in Electione Coadjutoris incidentium, Celsissimo Principi & Consortibus de Capitulis movenda fuit. Ut tamen arcana sunt Divinæ Providentiæ consilia, quæ nonnunquam deprimit, ut attollat; gloriæq; curram aliquantis per sufflaminat; ut postmodum alacrius currat; ita JODOCUM EDMUNDUM per angusta ad augusta, viam planando, deduxit, & ad honoris fastigium gradatim evexit: nam primò Serenissimus Elector Maximilianus Henricus feliciss. record. Anno 1668. Canonicatum Hildesensem in eum contulit, ac paulò post Proprincipis honore

K

nore

nore insignivit. Accessit subinde non modò Breve gratiosum Clementis I X. santiss. mem. verùm etiam Executoriales Commissarii Apostolici, dati cum clausulâ, remotâ appellatione; per quos, licet, revocatis actis omnibus, in statum priorem restitutus, jus suum prosequi potuisset; animi tamen sui moderatione inductus, cum Principe & Capitulo placidâ compositione litem dirimere maluit. Resignato postmodum Monasteriensi Decanatu, Hildesiensiq; per resignationem Reverendissimi & Perillustri D. Matthiæ à Schmising vacante, Anno 1673. in Decanum Hildesiensem electus, & à Serenissimo confirmatus est. Utrumq; hoc Perillustre munus rarâ moderationis, prudentiæ & vigilantia laude gessit, donec honoris apicem conscendit, Anno 1688. 7 Julii, unanimi suffragantium consensu, in Episcopum & Principem Hildesiensem electus. Sumpto autem ad deliberandum temporis spatio, à jure concesso; ab Innocentio XI. Pontifice collaudato, in Brevi Apostolico, Romæ Anno 1688. 9. Octobris dato: atq; instante Cathedrali Capitulo, electionem acceptavit. Quam & sua Sanctitas de Consilio Sacri Collegii, testibus literis Romæ eodem Anno III. Kal. Decemb. signatis, *tanquam Canonicè factam, sibi q; pergratam*, ut verba sonant, *ex animo confirmavit*: additis sequentibus insignibus encomiis: *Viri gravis, in functionibus Ecclesiasticis optime versati, prudentis, rerum gerendarum usu, experientia, nobilitate generis, vita munditia, spiritualium providentia, temporalium circumspetione, aliis q; multiplicium virtutum donis commendati, omnia q; ad Episcopum requisita habentis*: cum liberali auxiliorum, ad bene feliciterq; regendum Epif-

Episcopatum, promissione. Et ne affectui, effectus defuisse videretur; Sanctissimus & Sapientissimus Pontifex, ad preces tam Celsissimi Episcopi ac Principis Monasteriensis; quam Reverendissimi Cathedralis Capituli Hildesienfis & Monasteriensis, Celsissimo Principi Canonicatus Monasteriensis retinendi gratiam præstitit, & Canonicatum Hildesiensem, in eum, qui commendatus fuerat, transtulit. Anno 1689. 23. Maij per Reverendissimum ac Perillustrem Dominum Ferdinandum à Plettenberg, Cathedralis Ecclesiæ Paderbornensis Decanum, & per Prænobilem ac magnificum D. Carolum Paulum Zimmerman Consiliarium Intimum & Cancellarium, cum singulari Cæsaris, & Aulæ totius approbatione, facundè perorantem, ab Augustissimo Imperatore LEOPOLDO, Laxenburgi Regalia obtenta sunt. Deniq; eodem Anno 2. Julii, Hildesii, in Cathedrali Ecclesia, subsequuta est consecratio in Episcopum, à Reverendissimo ac Perillustri Domino Friderico Episcopo Joppensi, Suffraganeo Hildesienfi, Apostolico per Septentrionem Vicario; ex speciali indulto Pontifico; Assistentibus Reverendissimis & Amplissimis Dominis Gerardo S. Godehardi Hildesii & Josepho SS. Martyrum Adriani & Dionysii in Gamspring Ord. S. Benedicti Abbatibus: Universo Clero & Populo applaudentibus, campanis per totam Civitatem, militibus per Campum Dominicum, ac tormentis per valla aggratulantibus. Cui Electo, Confirmatoq; Reverendissimo & Celsissimo Episcopo ac S. R. I. Principi, Domino nostro Clementissimo, diuturnum & felix, juxta Symbolum suum, IN PACE ET ÆQUITATE, regimen largiatur
Princeps Pacis.

quando 7 defe. Hild. 33

7
4

944

Th

4878